DE GASTRODYNIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN ANTIQUISSIMO...

Agostino Freschi



DE

GASTRODYNIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUGUSTINUS FRESCHI

BASSANENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIII

JOANNI LARBER

MEDICO PRAECLARISSIMO

GRATI ANIMI ET AMORIS

TESTIMONIVM

Gastrodynia, seu dolor stomachi (a γαστὴρ stomachus et ὀδύνη dolor) apparet tanquam multiplicium morborum symptoma. Saepius per gastralgiam usurpatur, sed haec potius generaliter stomachi dolorem denotat, quacumque ex causa prodat, nunquam vero ad specialem morbum indicandum inservit. Et revera si hoc vocabulo universum morborum genus qui stomachum afficiunt appellare velimus, tam varia tamque diversa morborum elementa ac symptomata in unum convenirent, ut nec theoricis praeceptis nec practicae arti utilitas ulla accederet. Complures hujus generis dolores nihil aliud sunt quam signa morbi alicujus, et legem ipsis imponere facilius erit si cum morbo ipso ad quem pertinent, considerentur. Sed nos tantum de illis doloribus in praesentiarum loqui statuimus, qui tanquam specialis morbus habentur, ac propterea gastrodyniae nomine appellantur.

Maxima certe utilitas inest in morbis secernendis, praesertim in afferendis ac breviter enun-

ciandis notionibus ad illos pertinentibus. Sed habentur etiam errores quidam, qui divisiones istas consequuntur, qui prae omnium oculis semper esse deberent, ne mentem medici ab unico cognitionis fonte distrahant, quae in eo sita est, ut attente morbi actiones ac structurae inordinationes perpendantur, quae tantum justam morborum naturae ac rationis medicamiuum cognitionem valent suppeditare. Magni certe interest nomen, quo morbus aliquis designatur; nam nisi morbi naturam indicet, et ad symptoma tantum pertineat, falsam morbi ideam inducit, maximo damno est juveni medico, quod illum facile a morbo attente considerando avertit, illa praesertim aetate, qua et novitatis amor summum tenet imperium, et a maturo judicio proferendo homines maxime impediuntur. Primae ideae altius radice descendunt in animos juvenum, et a primis experimentis possunt firmari; sed omnia illa quae vitam occupant, tempus et occasionem adimunt, quominus ideae verae inquirantur ac falsae corrigantur, et saepe saepius error usque a medicae vitae initio a morbi nomine ortus usque ad finem perseverat, et hujusce rei ex historia medica exempla plurima facile est afferre.

Stomachi dolor proprie morbus non est, sed tantum symptoma, quod morbos illos comitatur, qui in stomacho sedem habent, aut illum sympa-

thice afficiunt. Si dolor tanquam morbus consideretur, fit saepius, ut ea omnia quae illi adversantur, aut aegrotum ab illo liberant, tanquam vera morbi ipsius medicamina habeantur.

Nos tamen medicinae elementis ad hanc diem usque cognitis innixi, morborum communia nomina non rejicimus, nam nullum possunt afferre damnum, modo pro morbis non habeantur; medici a morborum attento examine non abhorreant, et morbis ita mederi studeant, ut medicamina effectus suos pariant.

Stomachi dolor de quo nos verba facere volumus, generatim tanquam dyspepsiae symptoma habetur. Sed ejus vis, incommoda quae affert, regularis functionis intermissio, diutina ejus mora, structurae perturbatio, quae falsam medendi rationem consequi potest, specialem ac individuam animadversionem requirunt.

In nosologia Cullen, gastrodynia ut dyspepsiae symptoma locum habet. Sauvages et Sagar qui tanquam specialem morbum eam considerant, eam peculiari definitione designaverunt. Sauvages enim sic definit: »Quicumque dolor notabilis et constans in regione ventriculi, qui continua animi dejectione non stipatur ut cardialgia, nec pyrexia ut gastritis». Sagar vero: »Notabilis et durans in regione ventriculi dolor, sine syncope et pyrexia ».

Quicumque hoc morbo laborat, signa quaedam perturbationis dyspepticae ostendit. Sed dolor quamcumque aliam sensationem superat et unicus morbus putatur, nam alia incommoda nisi per examen patefiunt. Dolores sic gravitate et mora differunt, ut admodum difficile esset illos ita describere, ut omnes illorum gradus agnosci possent. Omnes dolorem hunc ajunt ita infirmum vexare, ut si stomachus ejus gravi pondere opprimeretur. Aliquando cartilagine ensifórmi compressa, aegrotus doloris sensum manifestat, quandoque in inferiore thoracis parte pressura adest, dolor ad dorsum usque protrahitur, et difficilis est respiratio; quae omnia indicant diaphragma quoque morbo aliquo laborare. Plerumque dolor certis diei horis apparet, aliquanto perseverat et deinde desinit, sed certa harum mutationum regula non potest haberi. Interdum doloris intermissiones adeo breves sunt, ut dolor continuus videatur, quamvis aegrotus haec intervalla sensisse fateatur. Hic morbus quandoque nullo alio malae valetudinis signo comitatur; pulsus est regularis, cutis frigida et lingua nulla labe polluta. Generaliter lingua plus minusve spurca est; in aliquibus pulsus celer et cutis exardens febrim inesse indicant. Haec tamen febris infrequens est et tanquam accidentalis potest considerari, nam a principali morbo non paritur, nec ipsum

comitatur; tamen cum membrana stomachi mucosa relationem potest habere, quae ad phlogosim transeat. Spasmodicus doloris character et febris absentia medicos in errorem induxerunt, qui aut inutiliter, aut cum summo aegroti damno huic morbo mederi studuerunt. Stimulantia, narcotica et antispasmodica remedia generose fuerunt suppeditàta; sed quamvis haec procul dubio doloris levandi vim habeant, tamen multa sunt quae probant minime idonea esse ad morbum hunc sanandum; immo vero quamvis ad tempus dolorem sublevent, si his tantum nitamur, ad morbi vim confirmandam et augendam reapse tendunt, ideoque ad probabiliorem et efficaciorem medendi rationem confugere satius putamus.

Brevis haec morbi descriptio ad illum sufficienter designandum sufficit. Initio dolor levis et transitorius est, et sicut saepius flatibus comitatur, hi doloris causa censentur, et sicut cordialia et carminativa levamen afferunt, sic omnes ad haec generatim confugiunt. Calidae purgationes adhibentur, quae auxilium afferunt stomachum stimulantes et ventrem exonerantes; sed nisi morbus sit levis, haec nunquam illum sanant. Progressu temporis dolores frequentia, vi et mora majores insurgunt. In his rerum angustiis opio et aethere utuntur medici et raro eorum utilitas in dubium revocatur, nam dolo-

rem reapse levant. Si dolores crescant, majores horum medicaminum doses adhibentur, nam his quo magis aegroti utuntur, eo minorem effectum pariunt; sed haec adeo multiplices ac varias inordinationes afferunt, ut aegrotus sensim in marasmum incidat et mortem oppetat, nisi aliquo alio morbo superveniente intereat. Aliter evenit si morbus juxta verae illius naturae principia a medico tractetur. Dolor gastrodyniae adeo spasmodicus est, ut morbus vere spasmodicus facile putetur, et ad antispasmodica confugiant medici ad illum sublevandum. Insuper doloris per stimulantia et narcotica imminutio habita fuit tanquam argumentum ad ideas praehabitas confirmandas et ad medicam praxim ipsis innixam optimam statuendam. Tamen spasmatis existentia medicorum oculos jure ac merito occupavit ad detegendam illius causam. Probari minime poterit muscularem stomachi tunicam in propriis fibris ita esse depravatam, nam hic defectus cum totius corporis optima valetudine convenire non poterat, quam initio saltem morbi praeseferunt; sed irritatio specialis quaerenda erat, et haec, mucosa stomachi membrana et ejusdem secretionibus attentius inspectis, diu non latuisset. Certum est in gastrodynia mucosas stomachi secretiones et abundantiores esse et abnormes.

Si emetica suppeditentur, mucus hic abundanter expellitur et talis est, ut veterem formationem patefaciat; fluidus et pellucidus non est, sed potius densus, membranosus et opacus, et ab illo ex omni parte diversus qui a stomacho sano eliminatur. Difficultas qua a stomacho divellitur et expellitur, data proportione magna est et nisus quandoque violens. Faeces quoque muco abundant, et his procul dubio respondet status membranae mucosae intestinalis. Hujus muci praesentia praeviam excitationem membranae secernentis incusat, et in hac irritatione jure ac merito arbitrari possumus primarium morbum consistere. Sed dolor spasmodicus tunc insurgit, cum mucus ita formatus augetur in cumulum et stomachum premit; et si facta praecedentia una cum levamine quod afferunt idonea evacuantia considerentur, cogimur statuere doloris originem ab eo repetendam esse, quod stomachus in corrupta materia avellenda et expellenda vehementer contrahitur. Haec opinio tantum ex conjectura desumpta videri potest, veritas enim illius ex inductione, potius quam ex demonstratione deducitur; nam sicut gastrodynia, saltem in primis suis gradibus vitam non aufert; ita quamvis necroscopia detegere posset hunc morbosum stomachi statum, laesiones suppositas non probaret. Tamen conjectura

haec valde probabilis est, nam omnia quae cognoscimus circa physiologicam naturam earum partium, quae morbo comprehenduntur, ejusdem phaenomena ac medendi rationem, illam veritati prorsus accedere demonstrant. Sed ad morbosam mucosae membranae conditionem quam adducimus probandam positivis argumentis non indigemus, quamvis cum morbo non ita connectantur, ut efficaces evadant et hypothesim nostram illustrent. Omnes qui de anatome pathologica tractaverunt, singulari diligentia laesiones membranae mucosae gastro-intestinalis sunt perscrutati, et frequentem in vasculis congestionem et muci abundantiam cum eadem connexam adesse docuerunt.

Congestio vascularis adest, aut in vasis capillaribus, aut in magnis quae cum ipsis junguntur, aut in utrisque. Hyperaemiam capillarium ab irritatione ortam plurimi putant, et faciliter agnoscitur irritationem necessario auctam muci secretionem parere debere; nam ista folliculos mucosos invadunt et sunt verus fons a quo mucus provenit.

Si autem, uti apparet, irritatio auctam muci secretionem parit, si mucus hic in cumulum augeri potest et fieri moles extranea quae producat irritationem secundam, illa majorem per quam existit, elementa habemus, quibus statua-

mus rationem, qua medicus gastrodyniae medeatur.

Hinc juxta haec principia gastrodyniae cura requirit, ut membrana mucosa liberetur a nimia illa secretione qua opprimitur, et ut membrana secernens ita valetudini restituatur, ut novae accessioni valeat adversari. Sed si primae huic rei satisfaciat, et secundae medicus inservit; nam si mucus in cumulum auctus per idonea purgantia evacuatur, non solum tollitur directe irritationis causa, sed etiam organa secernentia ad exercitium functionum suarum efficacius revocantur, et hac de causa irritatio prima et consequens congestio melius et facilius mitigantur.

Aliquam in subjecto lucem spargere posset consideratio omnium eorum, quae ad secretiones gastricas excitandas et corrumpendas tendunt, adeo ut hujus morbi forma inducatur. Quamvis vita lauta sit magnus gastricarum inordinationum fons, tamen hujus vitae habitus gastrodynia non est frequentior effectus. Multo magis pauperes et male nutritos morbus hic afficit, et difficile esset statuere quam facile ad illum gignendum influat cibus pauper et stimulantium abusus; sed nos pro pauperitate cibi praecipue stamus. Cibus parcus et vegetabilis, si adhibeatur constanter illis praesertim temporis momentis, qui et copia et virtute majorem expeterent, di-

gestionem infirmat, ut flatibus, eructationibus, cardialgia et aliis dyspepticis phaenomenis satis patet; et irritatio membranae mucosae vel causa, vel effectus harum inordinationum haberi potest. Vidimus irritationem efficere hyperaemiam in capillaribus, istam augere muci secretionem, mucum augeri posse et agere tanquam corpus extraneum, irritationem secundam afferens, et tandem istam irritationem spasmodicam probabiliorem esse causam illius spasmodici doloris, qui gastrodyniam designat. Facile cognoscere possumus omnia ista a cibi paupertate provenire. Quomodocumque res se se habeat, maximum est quod in gastrodynia mucosae stomachi secretiones abundantes sunt et depravatae, et melior salutis via est hujus nocentis materiei expulsio et secretionis moderatae restitutio.

Cum autem cibus pauper et vegetabilis et ejusdem defectus pariant stomachi conditionem quae gastrodyniam producit, explicare facile possumus, cur morbus hic in pauperibus difficile transeat ad statum phlogisticum, et etiam qua de causa cordialium et purgantium commixtio fere semper utilissima evadit. Sed cibi vegetabilis usum malis dyspepticis fere semper favere, nemo est qui possit probare, nam haec in societatis coetu ditiori usuveniunt. Hujus generis aegroti cibo animali uti semper coguntur, immo

vegetabilia tanquam ipsis venefica habentur. Magnus error est hic, nam si stomachus debitam animalium et vegetabilium ciborum commixtionem pati non valeat, adest in eo semper aliquid quod corrigatur, quod nulla diaetae praescriptio ex integro tollere possit, nam cibi animalis tantum usus morbos potest afferre illis omnibus majores qui a dyspepsia plerumque oriuntur.

Quaevis valetudinis inordinatio antecedens gastrodyniam producere potest, et hoc clare patet; nam dolor spasmodicus hujus morbi tribui potest irritationi quam mucus abundans et corruptus gignit; et hujus eliminatio promptior salutis via evadit, ideoque medico suademus tantum ut istum mucum ante omnia idoneis purgationibus expellere studeat.

Juxta haec principia nobis videtur statui posse, quod in emeticis et specialiter in illis omnibus quae mucosas stomachi secretiones expellunt, totam medendi rationem consistere; sed haec omnia remedia poterunt applicari, at plerumque mitior processus erit adhibendus. Insuper quamvis dolor stomachi clarius symptoma sit; tamen morbus hic stomacho tantum non praecluditur, sed usque ad intestina protrahitur, cujus secretiones conditionem corruptam demonstrant illi quae in stomacho est respondentem, et hinc necesse est non solum stomachum, sed

intestina quoque ab hocce muco prorsus emundare.

Quod si de peculiaribus remediis ad hunc morbum idoneis sermo sit, haec praecipue statuenda nobis videntur. Oleum ricini, sulfur, manna primi generis sunt; hinc aperientia salina, denique vegetabilia cathartica nonnulla, aloes, coloquintis, jalapa vario modo simul commixta, et si occasio postulet, potest medicus etiam sales adhibere et oxyda metallica, antimonii praesertim et mercurii, quae actioni horum medicaminum valde auxiliantur.

Sed in omnium horum medicaminum usu attente videat medicus, ne peculiari aegroti alicujus constitutioni damnum aliquando potius, quam utilitatem afferat. Sunt enim aliqui qui omnium pharmacorum, quos nominavimus, auxilio indigent ad valetudinem recuperandam, et sunt qui mitiori methodo egent; immo plerumque si stomachus mundus conservetur, gastrodynia impediri poterit.

THESES DEFENDENDAE

****

I.

Multiplex est via, qua chylus in sanguinem intrat.

II.

Philosophia constanter medicinae opem tulit.

III.

In variis affectionibus morbosis crisis aliquando fit per exanthemata.

IV.

Cura radicalis cancri per pharmaca omnino non desperanda.

V.

Morbi nervosi saepenumero umbra tantum aliorum morborum sunt.

VI.

Aliud est phlogosim qua morbum curare, aliud dignoscere qua morbosam functionem partis inflammatae.

VII.

Mater sana prolem lactans nec sanitatis, nec pulchritudinis jacturam patitur.

VIII.

In casibus ubi dubium est, an de inflammatione, an de nevrosi agendum sit, tractamen praeferatur antiphlogisticum, vel rectius rationalis methodus expectativa.

IX.

Naturale est homini loqui.

X.

Educatio infantium physica plus valet, quam psychica; hinc primis vitae annis magis ad corporis, quam ad mentis evolutionem directa esse debet.